

Q. K. 392, 1b.

X 1903388

II n
4784

EX HISTORIA CIVILI,
De
OBSIDIONE
VIENNENSI,

Anni M D XXIX, cum nuperâ
comparatâ,

disputabunt publicè
PRÆSES.

M. CHRISTIANUS ANDREAS
SIBERUS,


ET RESPONDENS
JOHAN: ERDMANNUS CAMENTZIUS,
Hayna-Misnicus.

In Auditorio Collegii Veteris
d. 6. Febr. Anno 1684.



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



149-41



678
V I R O

*Magnifico, Maxime Reverendo, Amplissimo
& Excellentissimo,*

DN. GODOFREDO MEISNERO,
Hæreditario in Ubigau & Brottenitz / S S. Theologiæ
Doctori longe celeberrimo, Ecclesiæ Haynensis Pastori & Diœ-
ceseos vicinæ Superintendenti gravissimo me-
rentissimoque

Nec non

*Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis
atque Clarissimis*

DNN. CONSULIBUS, JUDICIBUS,
cœterisque Reipublicæ Haynensis
SENATORIBUS
meritissimis

Quin &

V I R O

Præeximio, Præclarissimo ac Humanissimo

DN. M. ADAMO ROCHIO,
Scholæ Patriæ Rectori vigilantissimo,
Susceptori suo,

*Dominis Patronis & Promotoribus omni obser-
vantia colendis.*

Hanc qualemcunque

Dissertationem Historico-Policam,
in signum Pietatis ac Observantiæ

offert atque consecrat

Johann Erdmann Camentzius.

§. 1.

Araceni qui infimo atque obscuro loco nati, prædabundi primum incursionibus ac populationibus Arabiam infestam reddentes, bellis deinde sese immiscere, aut inferre ipsi, ac iustis magnisque exercitibus congregari, præliisque decernere ausi sunt, victoriisque potiti, Romanorum amplissimum Imperium, aliaque opulenta regna invadentes immanni rabie vastarunt. Turcæ, his barbarie ac sævitia incultisque nullaque humanitate politis moribus similes successerunt. Illorum enim potentia factionibus ac sectis disceptata ac in partes divisa, ac postea in Asiâ aliisque orientis partibus, inde in Hispaniâ ac Galliis cladibus, Scytharumque, quos Tartaros vocamus, è Riphæis montibus irruptione afflictâ atque attritâ, ex ruinis Saracenorum ac ruderibus Imperium horum coaluit, ac tantis regnis, provinciisque auctum crevit, erectumque ad fastigium est, ut nostris cervicibus insigni cum libertatis ac religionis periculo imminuisse visum sit. Quod quantis conatibus Turcarum tyranni, quantoque armorum exercituumque, vocatis omnibus ex sedibus populis, apparatu affectarint, Pannonia nobile Europæ regnum, documento & testimonio est, quam sæpe immanissimis gentibus inundarunt ac vastarunt, maximamque partem ereptam omnibus bonarum literarum ingenuarumque artium studiis, & religionis veræ cultu extincto, barbaris ritibus, impiaque & nefanda traditione foedarunt, indeque crebris incursionibus Austriam maximis calamitatibus afflixerunt. Nupera quidem illa in imperii salutisque Christianæ exitium suscepta expeditio, crudelique ac furiosa ratione obsessa Vienna, sed majori obsessorum virtute defensa, foederatorumque, præsertim SAXONIS fortitudine vindicata ac liberata, ut in illustri posita monumento, illam Caroli V. temporibus æque periculosam hujus urbis obsidionem in mentem revocat, adeo ut hanc ex annalibus evolvere mentemque ac calamo repetere, utramque vero inter se invicem conferre operæ pretium existimem.

§. 2. Instituti verò mei ratio non postulare videtur, ut modum prudenter belli gerendi tradam, quippe qui experientia magistra optime addiscitur, cumque & alii hoc non sine laudis ac gloriæ fama pertractarint, in quorum numero à Conringio editi Lazarus Soranzius, Achil-

les Tarduccius, Lazarus Svendius, Petantius nec non Staravolscius & adhuc in Vaticano latentes Marcellus Marchesius & Lampus Buragus Naudæo Bibliograph. Milit. p. 72. visi ac perlustrati. Nec ad singula intendam animum, aut mihi proponam, ut milites suos in ordines conscribam, ut locum stationemq; , quam defenderunt, attribuam, ut tempora horarumq; momenta singula enumerem, quæ quidem ad accuratam simplicem tamen facti narrationem pertinere videntur; ut deniq; internoscam pugnantium vultus vocesq; omnes ac motus, ut prope singula oculis notem vulnera, laniatusq; & ictus observem. Nam hoc eorum muneris est interestq; ut præstent, qui historiam condere ac inde famam augere cupiunt. Nec dubito maximos viros paresq; ad hoc negotium subeundum, hoc tradere posteris aggressos aut aggressuros, quod in obsidione Brædæ Hermannus Hugo & Marc. Zuer. Boxhornius, In obsidione Sylvæ Ducis Barlæus, Grotius in Grollæ obsidione, in obsidione Lutetiæ sub Henrico III. & IV. Petrus Cornejus & Philippus Pigafetta, Budina in Zigethana enarranda præstiterunt, dignamq; & scriptore & lectore notitiam reliquerunt. Eleganti quoq; scribendi ratione & prudenti judicio Fontarabiam à Condæo obsidione cinctam descripsit Josephus Moretus. Sed ego, ne fastidio lectori sim, neq; me moles rerum opprimat, prolixius gesta uno ac brevi obtutu perlustrabo, summaq; rerum fastigia contemplanor, breviq; velut tabula rerum ambitum exhibebim. Ideoq; quod suscepti mei esse censeo, quæ Viennæ origo, qui status, quæ belli ac obsidionis causa, quæ rei series ac eventus altius dicto initio, quantum ex monumentis cernere datur, memorare animus est.

§. 3. Vienna Cæsaris augusta sedes, Turcarum oppugnantium fatale bustum, ex infimo natum, Deum favore temporisque successu magnum nomen fecit; adeò quod Italis Roma, Gallis Lutetia, Vienna Germaniæ sit. Gabr. Bucelin. Nucl. Hist. Part. 1. Primordia quidem obscura, aut incerta, ut & nomen, cum à Ptolomæo Juliobona, à Strabone, l. 4. Vendo, ab Aurelio Victore Vendobona, in Itinerario Antonini Vindobona, in Notitia Imp. Occid. cap. 83. Vindomana, à nonnullis Flaviana vocatur. Id quod negotium prolixè pertractavit Petrus Lambecius Tom. 1. Bibl. Vindob. Lazius in eodem argumento & in Geneal. Aust. Author Anonymus. Phosph. Austri. passim, Bertius Comment. de Urb.

681
Urb. Germ. l. 3 Sita vero est ad dextram Danubii profluentis ripam, Pan-
noniæ superiori olim adscripta quæ Imp. Romanorum ætate præ-
sidem habuit. In eo quippe scriptores consentiunt Pannoniam supe-
riorem seu primam latius patuisse quondam, & occasum versus Austri-
am Carniolam, Carinthiam continuasse, inferiorem seu secundam quæ
ad Austrum vergit complecti Bosniam, Sclavoniam eamque Hungariæ
partem, quam Ister alluit, quæque consularium fascibus paruit. Vienna
vero haud dubie Romanos auctores habuit, ut multæ aliæ Cis Danubia-
næ ac Cis Rhenanæ civitates, proptereaque & cæteris antiquior cen-
senda est. Quod confectum dedit. H. Conring Dissert. 3. de Germa-
niæ urbibus. Pannonia vero prima victricibus Caroli M. armis
Hunnis erepta, parsque Regni Marchiæ orientalis nomine constituta
est. De Fin. Imp. l. c. 4. Geminas enim expeditiones triplici exercitu
in eam suscepit, congressusque vicit, ipsamque Cagani regiam omnibus o-
pibus locupletatam ac refertam invisit. Busier Hist. Franc. lib. 4. p. 192.
Et hanc Marchiam orientalem seu Austriam ab Henrico II. Impera-
tore Leopoldus Sæviæ Dux obtinuit, quamvis Bonfinius lib. 10. Dec. 1.
tunc primum Austriam Hungaris ereptam contendat, quæ tantum ab
ipsorum incursionibus vindicata est. Quem & refellit Conringius de
Fin. Imp. l. II. c. 17. Propterea nec sibi constat Author Phosphori,
qui Leopoldum Ducem Austriæ fuisse sæpe inculcat. Paria abhinc sem-
per Austriæ ac Viennæ fata. Ottocarus Bohemiæ Dux, quod sibi ex
connubio, cum Austriacâ contracto, in Austriam jus dicitaret, circa
annum MCCXLVI eam occupavit, simulque Viennam; ibique palatium
extruxit, ædem divino cultui destinatam sacravit, quem tamen ejecit
Rudolphus Habesburgicus, suæque familiæ attribuit adscripsitque amplas
has ditiones, indeque ascensum ad fortunæ fastigium cæteris gentibus
invisum paravit. Grammond. Hist. Gall. l. 4. p. 260. Pacata postea o-
mnia, nec quicquam ab Hungaris versus Viennam motum, nisi FRIDE-
RICI III. tempore Matthias Hunniades cæteroquin celebris, Hungariæ
regno propugnando in Turcas, quod Imperatorem pacis quam belli
temporibus videret aptiorem, ipsius majestate velut obtritâ ac despe-
ctâ Austriam exercitu ingreditur capitque Viennam, specioso prætento
nomine, quod antiquos fines ac limites repeteret, Hungariæque regno re-
stitueret. Erat Maximilianus Friderici successor ac filius cõtra Francos

& Belgas implicitus bellis, quibus feliciter confectis, ad sua recuperanda animum intendit, ac non solum Austriam primariamque urbem, sed Albam Regali expugnatam, bonam Ungariæ partem in potestatem redegit. His jactata Vienna casibus, semper tamen è malis eluctata superior extitit. Hoc tamen addam: Antequam Germania civili ac diuturno bello committeretur, inter infesta ac eventu infelicia occupandi imperii consilia, conclusum statutumque Unioni fuisse, Moravorum & Transylvanorum, quos in partes perfidiæ traxerant, opem Viennam obsidione cingere & occupare, ut exclusus Cæsar armorum apparatu tormentorumque aliisque belli gerendi præsiidiis, quibus tunc Vienna abundabat, privaretur. Cancell. Secret. Anhalt. p. 30. Consilium exequitur Turrianus. Sed ad mœnia hærens Mansfeldii infelici casu, ab obsidione retractus est. Julius Bellus lib. 3. Ac tandem uno ictu, Pragensi nempe clade disjecto unionis globo, vis horum consiliorum exspiravit, Flor. Germ. p. 30. Brachel. l. lib. Hist. s. Temp. p. 13.

§. 4. Admota vero propemodum fato suo est, parumque à miserrimam Turcarum servitute abfuit, cum Solymanus numerosum exercitum admoveret, ac omnibus belli artibus atque extrema vi oppugnaret. Nihil enim imperum ejus, torrentis more ruentem omniaque secum trahentem sistere vallumque objicere poterat, ac inhibere victoriæ cursum, præsertim superato Belgrado occupatisque multis munitissimis locis, qui ingruentem antea vim sustinebant ac frangebant. Nescio enim quâ vanam arrogantiam elatus Ludovicus, cum imperio admotus Solymanus, imperioso quamvis nuncio, expositisque fastu literis, velut arbiter ac dispensator momentorum concordie publicæ ac dissidii, pacem offerret, renuerit ac recusavit accipere. Quibus offensus insolens animus, phalangibus ac copiis instructus Ungariam invasit, & Ludovicus intempestivo ausu congregiens, tractus in insidias circumventusque multitudine, victus, miserando fato extinctus poenam luit. Inde vero Solymanus latissime evagandi sibi viam fecit, & longe cum infinita strage grassandi licentiam sumsit. Busbeq. ep. 1. p. 33.

§. 5. Ut autem promissis stem, investigabo causam, ac susceptæ expeditionis consiliū inquiram, animamque velut rei accuratiori cura perscrutabor. Maxima quidem ac præcipua belli ratio, quam barbari nec speciosis involucris involvunt, sed remoto velo aperiunt, ambitio fuit

ac

ac dominandi libido, quæ adeo in Solymano eminebat, ut præcipuam
indolis ingeniiq; ejus notam indiciumq; constituat. Erat enim animo
elato ac vastè superbo, præterea sævus iræq; deditus, attamen prudens
temporum occasionumqve æstimator, quæ ipsum magnarum rerum &
audentem & capacem effecerunt. Tædet interim pigetq; me meminisse
episententiæ, quæ nostra religio, huicq; addicti ac initiati, authores hu-
jus belli extitisse classicumq; canentes dicuntur; quam nonnulli ex eâ fa-
miliâ, quæ Sospitatoris nostri nomen ac sanctitatem præsefert & jactat,
foverunt. Sed hoc professi, aut desperatè malam mentem, & odium
(cum tamen sapientibus viris veritas partium studiis antiquior esse de-
beat) aut rerum gestarum inscitiam ignorantiamq; produnt. Nec ii fi-
dem faciunt, qui foederi cum Francisco I. inito hoc tribuunt, quippe
quod dimisso ex Hispanorum carcere Galliarum Rege demum in utro
pactum sancitumq; est. Inq; id Franciscus se induit, tum indignatione
in Venetam Rempublicam, quam avellere à Cæsare nullo conatu valu-
it, cum vindictæ in Imperatorem Libidine, cujus fortunam potentiam-
qve prospere succedentem infringere, ac Turcorum ope arma bellique
conatus facilè reprimere se posse speravit. Buffier. lib. XVII. Hist. Gall.
Tom. II. p. 221. Missus itaq; Polinus Orator, qui fidem daret ac accipe-
ret, quo quidem facto omnium Christianorum gentium judicio, Chri-
stianissimi titulus, quem prisci Gallorum Reges, tot in Syria, adversus
infideles patratis facinoribus sibi paraverant ac vindicarant, turpi notâ
non parum deformatus est. Solymannus vero Janus boum virum in-
ter Turcas clarum Venetias misit, qui reipublicæ animum tentaret, atq;
ad id foedus ineundum pelliceret: quem tamen patres dubio, circum-
spectò tamen responso dimiserunt. Petrus Justinianus l. XIII. Hist. Ven.
p. 270. Quantum vero ex infausto hoc consilio Reip. Christianæ damnū,
quantaqve pernicies orta derivataqve sit, luculenter tradiderunt, Pau-
lus Jovius Vit. Carol. V. Natalis Comes Hist. S. Temp. Besoldus Hist.
Turc. Magnum certe momentum stimulumqve invadendæ rur-
sus Hungariæ Solymano addiderunt intestina dissidia civilesqve di-
scordiæ, ex diversis in reges studiis ortæ ac fatæ. Quas rationes a-
perit Isthuanus Hist. Hung. & ex eo Besoldus c. I. Ut enim per
dissidia nostra ad imperium eveci sunt Turcæ, ita omnem indu-
striam solertiamqve adhibent, operasqve consumunt, ut vicinorum
Chri-

Christianorum discordias foveant ac procurent, quo deinde confectos lassitudine invicem ac debilitatos obruant, ac auxiliorum specioso nomine foedissimâ servitute opprimant. Tarduccius l. 2. de fallaciis Ottomanicis. p. 195. Johannes nempe Zapusiensis Transylvaniae Dux à quibusdam rerum novarum cupidis Rex electus, Ferdinandum pluribus nobilium suffragiis votisque in regem adoptatum, & succedendi lege potiorē spernebat, partemque regni invadebat. Ferdinandus (cujus in Hungariam jus asserunt Joh. Ferdinandus Behamb, Notit. Hung. & Joh. Strauch, Disp. Exot. 1, §. 24. p. 31.) scriptis pariter & armis sibi debitum vindicabat, quibus & superior factus, regalia insignia ad Albam regalem induebat. Solymanus precibus Johannis Weyvodæ per Hieronymum Lascum oratorem allatis, adductus atque commotus, quod in hujus auxilio præsidium statuerit statim Hungariae bellum intulit: Jac. August. Thuan. l. Hist. p. 59. Nec sibi quicquam obstare, Victoriaeque cursum successuumque spem intercipere posse sperabat, Hungarorum animis in partes distractis, ac in mutuam perniciem accinctis, & Germanis à Cæsare aversis ac alienatis. Carolus ipse aberat, in cuius præsentia maximum belli momentum. Profectus enim erat Barcellonam primariam Catalauniae urbem, ac dein Gandavum prout ex Petro Justin. Hist. Ven. l. XIII. p. 266. & Anatholio Des-Barres Immortal. Carol. V. p. 48. constat, adeoque per disjuncta regionum spatia auxilio subvenire non potuit. Hæc animo complexus Solymanus, Viennam aggredi statuit, non ut eam captam expugnatamque diruat, ac munimenta solo æquet, (quod falso cum per caduceatorem deditioem postularet, minatus est) sed ut eam validioribus aggeribus munitionibus ac propugnaculis roboret firmetque, sedemque belli ac armorum officinam constituat, ac deinde Germaniam atque Italiam triplici exercitu, inclinante in verum hyeme inundet. Viæ enim, occupata Viennâ, evagandi in Italiam patebant duæ satis commodæ, quarum una per Tirolensem Comitatum & Alpes, quæ sunt prope Tridentum, in Veronæ campos, vel Bassanum versus ducit, altera vero per Villacum Forum Julii aperit. Lazarus Soranzius. P. III. Ottom. Quapropter magnis itineribus magnaque celeritate contendens, triduo postquam Philippus Palatinus sex equitum perditumque millibus in urbem receptus fuerat, barbaræ copiae conspectæ sunt.

683

§. 6. Appetebat vigesima quarta Septembris anni MDXXIX, quo Solymannus exercitum Viennæ admovit, non quidem adversus impetum extremamque vim tam validi hostis satis munitam. Quamvis enim partim Danubio ab una parte, partim Vienna torrente ac Alsa rivulo quibus rigatur, tuta velut à natura reddatur; hæc tamen in hostium perniciem armare ac obsessorum usum vertere, aut negligentiam aut tempore, ut in re opinatâ, exclusi, neglexerunt ac omiserunt. Quod Johannes Martinus Stella in hac militiæ parte probè versatus rationesq; ac modos propugnaculorum Germaniæ, Italiæ ac Galliæ speculatus, & à clarissimis bellicis machinatoribus instructus edoctusque, in Descriptione Viennæ p. 93. observavit. Nec enim objecto vallo ac aggeribus, incisisque undarum ductibus ac fossis inundaverant planiciem; cum aquarum eluvie, aut arcere longius hostem, aut impedire ac morari ne propinqua erigat opera, aut excitare putri stagnantium aquarum halitu castrenses morbos facile potuissent. Præterea armorum desuetudine omnia imparata erant, prolapsæ ex vetustate murorum partes, resectæ quidem, sed ut omnia protinus enata, tormentis quassatæ, non diu duraturæ. Insuper fossis labra exteriora mœnibus adversa deerant, excursionibus de inopinato faciendis, recipiendisq; subito emissis, removendisq; è propinquo hostibus idoneæ, sed à circumjectis campis in fossas statim præcipitium fuit, quod obsessis postea damno ac fraudi extitit, cum ii qui erumperent multitudine hostium reprimerentur, nec harum partium defectu repentinus esset receptus, multi in præceps delati perierunt. Sedes tormentorum ac propugnacula altius extructa, nec firmis subnixa fundamentis subsidebant, ac explosis tormentis ruinam minabantur. Deerant quoque occulta receptacula ad lateramunitionum, quorum usus est eximius, & si desunt, non minus damnum. Nec vero vitio mihi vertatur ea commemorasse, quæ machinali scientia instructas explicare melius posset, cum ad accuratam novitiam pertineat, & à multis omissa sint. Nec annonæ reiq; cibariæ satis prospectum erat, cum non adeo longi temporis obsidio, omnem apparatus absumerit, isq; prope deficiens rebellandi deserendiq; stationes materiem militibus ansamque præbuerit. Sed hæc omnia melius fatum & fortuna correxit, & industria ac virtus obsessorum emendavit.

B

§. 7.

§. 6.

§. 7. Philippus verò Palatinus Friderici, quem summus Præfectum ac Imperatorem Cæsar constituerat, Patruelis, Vienne ingressus, prudentis ac fortissimi ducis munia explevit. Ad omnem enim fortunam paratus, omnem deditioem respuit, & pro fide moriturum sanctâ devotione promisit. Illustres quoque viri æternum ac memorabile nomen adepti Philippus Nicolaus de Salmen (qui victoriæ ad Ticinum partæ magnum momentum addidit) Gvilielmus Baro de Rogerndorff, Leonhardus à Fels, Richardus Ryscha, Schertelius, omnes suarum legionum tribuni, eandem constantiæ laudem meriti sunt. Melchior Soiter à Vindâ Bello Pannonico, lib. 1. pag. 117. Abr. Ortelius P. 1. Rer. Hungar. Leunclav. Pandect. Turc. c. 224. Besold Hist. Const. p. 1050. Fruatur & fortitudinis suæ præmio Nicolaus Serini, (qui Sigethi defensor non sine hostium strage occubuit) à multis in hâc expeditione omissus, qui tamen adolescens adhuc & tyro multa præclara in hâc obsidione perfecit, proptereaque à Carolo Imperatore eqvo auroque donatus est. Samuel Budina Hist. Zigeth. Primum hi partiti operas stationesque, relictis repente vetustate afflictis munitionibus defensionem parant, dein fortissimi quique eruptiones tentant, sed multitudine hostium circumventi ægre recepti sunt, multoque damno suorumque jactura hic infelix ausus stetit, ob explicatas antea rationes. Tentata hæc sæpius, sed inauspicatò, ideoque ommissa; quapropter à moenibus arcendus hostis erat, iustrandæ subterraneæ latibræ ac cuniculorum minæ quibus excidium parare, perque ruinas irrumperere hostis nitebatur; quod forti animo ac desperato simillimo effectum est. Vicies maximo impetu nisuque, explosis ab omni parte tomentis, jactisque in sublime vi pyrii pulveris propugnaculis ascensus tentatus, vices cum insigni clade repressus. Magnam verò prudentiam adhibuit Philippus in demulcendis speque erigendis civium ac militum animis, fictisque de industria literis, à Ferdinando Rege, qui Lincii agebat, & Philippo Palatino exaratis, ac subita auxilia promittentibus. Nec enim ipsum latere poterat, Germanos Principes nimie Austriacæ domus potentie invadere, agrisque oculis inspicere ipsius felicitatem, ingratumque fore

totius Ungariæ accessione ingens incrementum, adeoque nec statuto tempore, nec justis viribus adfuturos, quod Gvicciardinus l. VII. & XIII. Hist. Ital. & ex eo Forstnerus tradit; ideoque Fridericum, qui Chremisii castra posuerat, non nisi justis auctum copiis, quod lente procedebat, interturbato hostium exercitu ac disiecto, obsessis subsidio venire posse. Insuper Felisii legio, & ipsorum pessimo exemplo allecti alii, intus omnia tumultu miscebat, turbabantque, stationibus desertis vigiliisque omisis apertam defectionem minantes, ni tria oppugnationum stipendia solvantur, hisque primum ob inopiam ærarii militaris negatis, hostilem in modum prædabundi civium domus cellasque ac arcas vi aperiunt diripiuntque; nec dubium quin exitium hoc interius malum attulisset urbi, ni Philippi tribunorumque prudentiâ composita ac sopita seditio fuisset.

§. 8. Solymanus verò omnem conatum in Viennam intendens, statim ut exercitum admovit, nemine vetante propinqua urbi struit opera, aggeribusque paulatim accedentibus erectis, serieque tormentorum minorum in suggestu positâ, tertiâ die oppugnationem aggreditur. Centum erant, sed tantum mediocria, quibus quassata munimenta, effectu irritò; ideoque insidiis cœcisque artibus tentarunt expugnationem. Sæpe subterraneos ignes pararunt, sed obsessi obversis cuniculis actis fossores aut ferro aut fumo necarunt. Nisi quod octavo octobris pars muri Carinthiorum turri contigua (quæ Turcis ob crebras pilarum emissiones infesta) in aera protrusa est, adytusque ac via facta. Sed virtute ac industria civium repressus insipientium impetus. Quo effectum, ut milites ad oppugnationem destinati, in vestigio hærerent, nec proferrent gradum, velut sacro igne tacti, adeò ut nec verberum plagis ad subeunda munia ac pericula adigi potuerint, fortes defendentium dextras, ac certam paratamque ascendentibus necem veriti. Adeo temeritas virtuti impar manus dat ac cedit, ubique primum impetum effudit, amisissis viribus effœta langvet ac torpet. Hoc interim, ut in hoste ac

B. 2. bar-



barbaro laude dignum prætereundum non censeo. Cum in certos ictus tormenta haberet disposita ac directa, vel numinis ac religionis sensu tactus ac motus, ædem Stephano sacratam, quæ summa colitur ceremonia, turremque editissimam, globorum pilarumque jactu intactam ac integram voluit. Omnibus tandem, sed frustra tentatis, amisso flore militiæ, dejectusque spe urbis potiundæ, cælum terramque diris devovens, fortunamque pro tyrannorum more incusans, discessum paravit, iraque ac rabie accensus, multorum Christianorum captorum & imbellium funere ac nece furori suo parentans, maturato itinere ac citato cursu Constantinopolim reversus est. Sic barbarus ac sævus hostis infectâ re fugienti similis discessit, libertasque Viennæ divini Numinis ope ac constantiâ defensorum asserta est.

§. 9. Nunc aperiam causas irriti tot copiarum, armorumque apparatus. Et quidem autumo, animumque induco in tempestivo tempore susceptam esse hanc expeditionem, vergente jam autumno, Asiaticis populis, è quibus magnâ ex parte exercitus constabat, morbis halituque pestifero, ac incommodâ temperie noxio ac infesto. Accedebat excussa præter spem ex aere alta nix, ac penetrans gelu. His militum corpora male affecta, animi vero ab Imperatore alienati, & minus dicto audientes ac ad obeunda militaria munia imparati effecti. Sed hoc sæpe usu observatum est, nec facilè apud Turcas corrigi ac emendari potest, cum exercitus copiosus sit, maximoque eqvorum camelorumque numero constet, quibus adultâ demum æstate, adspirante ad maturitatem frumento esca ac annona paratur. Soranz. Ottom. P. I. c. 35. Dein Solymanus tempus ac spatium defensionis parandæ obsessis permisit, nec istâ consternatione ac trepidatione animorum usus est, dum per triduum ac per otium velut opera tantum aggeresque perfecit nec omni tormentorum vi muros quatere deditio nemque urgere cœpit & quod majus, cum obsidionem continuaret, maxima tormenta non adhibuit. Hoc ingeniosi machinatores ipsi in vitio ponunt, nec, omni extrema vi adhibitâ ac tentatâ

vir-

virtutem defensorum oppugnantium pertinaciâ vinci ac superari potuisse, dubitant.

§. 10. Sed divinum Numen benignumqve in rem Christianam ac providens, ac felicius fatum obstitit, minimeqve id propugnaculum immanis hostis arbitrio permisit. Et ut eventus rei tandem pateat, constat, cum Johannes Turcarum res non ex voto fluere atqve ex animi sententiâ succedere videret, præterea infidam esse Turcarum amicitiam, miseramqve ex societate cum tyranno factâ oriri servitum, cerneret, Ferdinandi partibus se applicavit, honestisq; conditionibus transegit. Thuan. c. l. Et ut in servata vindicataqve Viennâ magnum salutis Germanicæ momentum positum esse satis constat, ita imperitum harum rerum aut malè faventem Austriacis Trajanum Boccalini facile judicaveris, dum audacius asserit, Reipubl. Germanicæ satius esse amittere Viennam quam recuperare Budam. Illâ enim amissa desperatæ fuissent patriæ res, & exitio proximæ ac conclamatæ. Quantum vero inde Imperio Turcico incrementum accedere possit, id argumento est, quod Imperatores omni voto hoc cupierint, & huc consilia direxerint. Nuper quidem eadem acta vidimus. In rebus enim humanis secula & personæ intereunt, causæ & eventa velut circumacto orbe revertuntur & recurrunt.

§. 11. Simili fermè ratione ac pari propemodum eventu obsessa nuper ac oppugnata Vienna est. Eadem erat indoles temporum ac animorum, ac distracta partium studia, quibus quidem occasionibus Mahometus IV. si æqui justiqve legem sequi voluisset uti non debuit. Postquam enim ea belli tempestas in Transylvania detonuit, cujus seriem eventumqve Johannes Berlenus tradit, majori vi Hungariæ incubuit, lateqve stragem edidit. Quam avertere se posse, nullis Transylvania submissis auxiliis, contra svadente Aversbergio haud rectè creditum est, quod Auctor Anonymus de Bello Turcico ad liquidum deducit. Sed immodica barbarorum libido superato Waradeino, velut claustro ac obice, non satietatem inde vastandi, sed stimulum ac incitamentum cœpit,



Represso tamen foeda clade apud Levam & Gotthardi fanum furore, misso Capigi Bassa, inducias pacemque viginti annorum petierunt ac obtinuerunt. Cujus causas aperiunt Henricus Brevverus l. 1. Hist. Hung. p. 87. Adam Ebertus Relat ex Parnass. XXX. Schurzheischius Disp. de charact. Event. Continuator Ortellii ad Annum 1664. sed promissis non steterunt, nec juramenti formulam de restituenda Waradiensi arce, avulsâ bello Transylvanico impleverunt, ac jam data occasione, conceptaque successuum spe, religionem pacti ac induciarum violarunt. Ex quo fundamento dein, quam æqua justoque conveniens hujus belli ratio sit, judicari potest.

§. 12. Illis equidem Johannes Transylvaniae Dux ambitione regni que adipiscendi desiderio inflammatus, ansam materiamque præbuit: Hic libertas & religio obtenduntur. Quæ meis verbis eloqui non sustineo, imo potius fata temporum ac miseras vicissitudines doleo ac deploro, quorsum Vid. Acta Comititalia Hungarica Soproniensia An. 1681. publicè edita. Illud vero optandum est ut vulnera consanent, & decreto oblivionis quamprimum regno quies redeat, & discordiæ barbaris profuturae sopiantur. Nam firmatis Austriae rebus, Germania fulcitur, & invisa potentia ad Rhenum æqvabili gradu constituitur, & destinationes alioquin in exitium erupturae avertuntur. Non hic nescio quod refert Grammondus Hist. Gall. l. 1. p. 13. de triplici Henrici IV. exercitu, qui vicinis metum incussit. Neque hic attingam Richelii & Mazari- ni artes malo temporum nostrorum cognitæ, quas prudentia ac fortitudo Germanica dissipavit. Tum Vernaji memoriæ nunc parcam, nec, quas iste partes cum adversa causa egerit, explicabo. Tantum aliquid addam de perfidia & conatu apparatusque Turcarum, qui non modo Hungariam, sed etiam Viennam spe devorarent.

§. 13. Postquam conclusum statutumque in summo Divani confessu belli inferendi consilium erat, præfecti rectoresque provin-

vinciarum cohortes à Mahemeto IV. evocare jussi sunt. Tot natio-
 num legiones adulto vere apud Belgradum in campum adductæ
 sunt Vezerioqve commissæ, ut harum accuratiorem inire censam
 discrepantibus relationum scriptis, difficile & arduum sit. Nec
 fortè fallit aut fallitur, qvi ducentorum millium numerum cum im-
 pedimentis excessisse immanem exercitum credit. His petita Vien-
 na copiis, his oppugnata est viribus. Præmissi præterea Tartari præ-
 dabundi, ac nece & flammis cuncta miscentes, ut copias Cæsaris
 distinerent, ne præcipiti via Viennæ subsidio venirent, ac ante in-
 gruens malum remedium parerent. Dein editâ per viam homi-
 num strage, domiciliorumqve, Vienna caput expeditionis cincta
 est. Extrema vi, summâ arte, dolis præterea & fraudibus tentata o-
 mnia. Non intermissa tormentorum explosiones, globorum nim-
 bi: Non cessatum à creberrimis ac vehementissimis insultibus.
 Non intermissi subterranei cuniculi, qvi ut minus provisi, inopi-
 natum excidium moliantur. Immissi & nefarii proditores, qvi
 nefando scelere intus incendia excitarent. Hi comprehensi, pro-
 ditorie tentatum facinus, foeda morte expiarunt, illa frustra fue-
 runt.

§. 15. Et in Ernesto Stahrenbergio urbis præfecto novum
 Philippum admiramur. Eminuit quidem antea virtute bellato-
 ris, ac solertia Imperatoris, cum Tokai nobilis ac munitæ arcis
 præfectura fungeretur, & cum laude interfuit præliis ad Levam &
 Gotthardum commissis; nec periculis caruit, semel captus à Rago-
 zio, sed pari felicitate dimissus Brevverus l. z. Hist. Sed hac in obfi-
 dione acclamationem ac præconia ducum, dum ducis munus ex-
 plevit, & invidiam hostium, dum horum vim repressit & consilia
 elusit, & æternitatem in annalibus, dum æterna gessit, meruit. E-
 quidem eâ fide in Imperatorem hanc obsidionem administravit,
 quæ non nisi fatali supremæ necessitatis ictu dissolvi potuisset, eâ
 prudentia novis velut munimentis ac vallis omnia præcinxit, per-
 que eorum ambitum, tormenta militesqve disposuit, ut nonnisi per
 multiplices neces ac strages aditus aperiri potuerit hostibus; ea
 for-



690
fortitudine propugnatoris munus executus est, ut vulnere & sanguine decorus nihil intermiserit, quæ ad partes suas spectare videbantur; Eam demum felicitatem consortem habuit, ut quod omnes desperabant, usque ad adventum heroum, intactam inexpugnataque ab hostibus urbem servaverit.

§. 16. Dum hæc geruntur attoniti velut acrei magnitudine in semet defixi principum Germaniæ animi erant. Anceps ac difficultatibus circumventum negotium videbatur, subsidio Austriæ venire, dum ab altera parte occidentis minari credebatur. Johannes quidem III. Poloniæ Rex altè propositum animo habebat, nisi necessitas extrema urgeret, supersedere Turcico bello. Sed desperata videbatur res, & ne punctum quidem temporis sine periculo propriarum regionum, immorandum dabatur, quippe Polonia amissa Vienna proxima tempestati fuisset, triginta millia equitum potissimum convocavit, perque Silesiam ipse Ductor, subsidio venit. Nec tamen è re videbatur quamvis addito Cæsaris exercitu, hostem longe superiorem aggredi. Igitur per legatos implorandi ac in partes discriminis vocandi Electores erant. Nec quidem studia principum defuere, venire opportunè Francones, Ductore Waldecio, misit suppetias Bavarus. Noster potentissimus Elector præprimis ad communem patriæ defensionem properavit. Nam rei Christianæ intererat, ut Turcica rabies opprimeretur, ne ad circumjacentes regiones permaneret. Pietas itaque inter succurendi causas princeps extitit, ac tuendæ patriæ ardor, ut cœleste quid spirans, & humanis animorum affectibus major, privatum commodum posthabuit, inque eo proposito perseveravit, translatisque per Bohemiam in Austriam exercitibus thesaurisque subsidio venit. Accessit lectissimis & non uno documento fortissimis copiis comitatus Elector, cujus adventu, gaudium ac gratulatio, velut victoriæ præsagium orta, beneque de Principis prudentia ac virtute ominari cœptum. Johannes III. Rex Poloniæ, Johannes Georgius III. Elector & Carolus Dux Lotharingiæ, alto fortunæ fastigio admoti, & ingentium exercituum ductores, ita

nec

nec rudes magnarum rerum, sed maxime experti, & factorum gloria in Turcas & Gallos prope pares, convenerunt, deque expeditionis serie deliberarunt. Poloniae quidem Regi, totius foederati exercitus administratio commissa est, quod non semel cum eodem hoste congressus victoria potitus est.

§. 17. Hoc in modum rebus constitutis fluctuatum esse animo ob gravitatem negotii perhibetur, tandem relictis cum praesidio Cremio impedimentis, admovendus Viennae exercitus, aggrediendusque in castris hostis constituitur. Ultimam Augusti, primordium salutis Viennensium captum est, penetrata nempe Sylva, castrisque firmatis. Prima vero Septembris die a Saxone occupatum jugum montis, quo Vienna cingitur ac vallatur, & a quo libero prospectu oculorum acies in castra ac opera hostium penetrare potuit; huic tria campestris tormenta imposita, ac ubi se inclinat ad praecipitium, receptus est lapide repente exstructus est. Golzius exercitus Saxonici generalis Praefectus vix discussis sequenti luce tenebris tormentorum sedem extruere mandavit, quo infestas intusque hosti stationi redderet. Sed hic instructis ordinibus in contigua valle processit. Golzius, ut a multis militiae annis ad ancipitia belli ac pericula consuevit, quamvis male morbis affecto ac langvente corpore, statim a vertice ad plana copias vocat, ac in duas acies distribuit. Succedunt dein & Caesarei, Franco-nes, Poloni. Aggrediuntur Turcae vi magna partem equitatus & qui incendiarias ollas manu jaculantur. Sed majori virtute represii, fugam moliuntur, pauci ad prima castra se recipiunt, quod ubi a caeteris factum, integra praesidia ac legiones immunes praelii, solo terrore victi ad fugam impelluntur. Expugnata dein castra, penetrarunt primam omnium Saxones, & signa ac vexilla intulerunt; exuti Turcae, omnes foeda fuga disjecti, & nostri opulentam praeda, ac plenam victoriam, aeternum duraturam gloria potiti sunt.

pla

§. 18. Praesentis numinis, quod benignum Christianis, aversum Turcis, ac singulari coelitem ope parta quidem hac victoria est, cum bellorum eventus disponere supra humani ingenii captum sit, nec temere fortuna ad has vel adversas partes inclinet, sed coelestis quidam vigor pugnantibus se insinuet, agendi vim immisceat dextrisque animet. Praeterea & fato quodam aut latente ratione constitutas esse regnorum me-

C tas

an-
de-
o-
ex-
line
dif-
ria
an-
ni-
de-
cu-
nia
um
ve-
tu,
an-
em
to-
le-
vit,
r,
ter
oe-
va-
ns-
lio
co-
ve-
ac
n-
to
ita
ec

692
his autumo, quas qui transierit, cum clade repulsum esse longâ retro experientia comprobatum est. Improspere per Pyrenæi saltum Fontirabia à Gallis tentata est. Moretus l. i. Obsid. Et Vienna secunda vice cursum victoriæ Turcarum inhibuit, obicemq; velut fatalem fortiter opposuit. Immixta tamen & his fuere humanæ rationes, quæ successum promoverunt, & quantum cernere datur, has inter error ac inconsulta rerum administratio hostis fuit, quod, si relationibus fides habenda, & victi sentiunt, & victoribus optime innotescit. Nec enim ullæ hostium copiæ ad iter interpellandum se ostendere, nec Vezirius à Viennensibus campis se movit, aut edita montium juga, in perniciem ipsius à nostris occupata, præsidio munivit; cum tamen dimidiâ exercitus parte ad obsidionem relicta, dimidiam alteram rapere in occursum venientium, aut priusquam cœteri confluerent, fulcirentqve aciem ipsos aggredi potuerit. Nec desunt, qui ipsum rei militaris imperitum imprudentemqve dicunt, ac eum præcipiti potius audacia quam circumspectâ ratione obsidionem administrasse, præterea indignis modis habitos copiarum præfectos alienasse, adeoque defectionis prope, postea fugæ occasionem dedisse. A nostris tamen etiam adhibita diligentia, quæ res bene ac auspiciato processit. Cum enim in longitudinem Turcæ aciem extensam disposuerint, non artificiosis contemplationibus inhærentes pari modo copias instituerunt, atq; eodem intervallo hostium frontibus fortiores opposuerunt, quam vincendi rationem erudite præscripsit Tacticæ artis scientia planè insignis Achilles Tarduccius Turc. Vinc. P. III p. 283. seqq.

§ 19. Interim vindicata nostris armis Vienna, & in conspectu mirantis & plaudentis Poloniæ regis cœterorumq; ducum gesta, adeo Johannis Georgii famam in omnibus orbis partibus auget ac effert, ut istud inimicorum silentium, quo frustra laudem obliterare conantur, vincat ac superet. Equidem indigna res est & ingratitude proxima, cum jam nullam sanguinis & virtutis, præter laudem, mercedem postulet, gloriæ assertæ libertatis partem invidere. Sed hoc commune malum & perpetua comes ac adversaria virosum virtute ac fortuna præstantium est, sicut olim Scipionem percussit & Annibalem, ita nec Johanni Georgio parcat posteaquam illorum fastigium magnitudine animi & gloria facti adæquavit ac superavit. Nos interim quamvis exiles & obscuros plausus addimus, extendimusq; & evehimus de cœlo promotum opus, quod pro salute

Christiana suscepit OCTOVIR MAXIMUS Augustalis victor ac
domitor barbarorum gentium.



PRÆSTANTISSIME

DOMINE CAMENTZ,

AMICE CHARISSIME,

S*l industria, defixaque in artes mente absolvuntur Studiosi juvenis partes, ac expletur officium, non defraudandus laude es, dum, à quò idoneè præparatus doctrinâ, ad altiores atque Academicas literas animum adjecisti & applicuisti, ea non negligis, quibus ingenium expoliri porrò potest. Quod & jam approbas, & ex temporis exacti memoriâ materiam revocas, quæ ad præsentem ævi statum, non adeo inepta videtur. Et dignus labor*

694
24
Tm
4784

bor est, veterum annalium res, in a-
dolescentiæ flore delibare, quarum
admonitu vita attemperatur, & in-
signia exemplorum desumuntur. I-
gitur meâ gratulatione stimulum
tibi addo ac calcar, admonitorque
sum, ut fidelem porro ac indefidem,
naves operam, & cum laude olim Pa-
triæ usui sis & emolumento. Wit-
tenbergæ è Muséo d. XVI. Januar.
A. M. DC. LXXIV,

BALTHASAR Stolberg/
Prof. Publ.



nc

1517

Q.K. 392, 1b.

OH

Ann

M. CH

JOHAN



ILI,

ONE

SI,

n nuperâ

icè

NDREAS

MENTZIUS,

eris

. Typogr.



J49-4

